

## C. PLINII CAECILII SECVNDI EPISTVLARVM LIBRI

### III, 21

Sex. Cornelio Prisco, senatori, Martialem poetam mortuum nuntians, ab eo laudatus eiusdem laudat ingenium.

GĀIUS PLĪNIUS CORNĒLIŌ PRĪSCŌ SUŌ SALŪTEM DĪCIT.

- 1 Audiō Valerium Mārtiālem dēcessisse, et molestē ferō. Erat homō ingeniōsus, acūtus,  
2 ācer, et quī plūrimum in scrībendō et salis habēret et fellis, nec candōris minus. Prōsecūtus  
eram viāticō sēcēdentem ; dederam hoc amīcitiae, dederam etiam versiculīs, quōs dē mē  
3 composuit. Fuit mōris antīquī eōs, quī vel singulōrum laudēs vel urbium scrīpserant, aut  
honōribus aut pecūniā ōrnāre ; nostrīs vērō temporibus ut alia speciōsa et ēgregia, ita hoc in  
4 prīmīs exolēvit. Nam postquam dēsiimus facere laudanda, laudārī quoque ineptum putāmus.  
5 Quāeris, quī sint versiculī, quibus grātiam rettulī ? Remitterem tē ad ipsum volūmen, nisi  
quōsdam tenērem ; tū, sī placuerint hī, cēterōs in librō requīrēs. Alloquitur Mūsam, mandat, ut  
domum meam Esquilīis quaerat, adeat reverenter :

Sed, nē tempore nōn tuō disertam  
pulsēs ēbria iānuam, vidētō ;  
tōtōs dat tetricae diēs Minervae,  
dum centum studet auribus virōrum  
hoc, quod saecula posterīque possint  
Arpīnīs quoque comparāre chartīs.  
Sērās tūtior ībis ad lucernās ;  
haec hōra est tua, cum furit Lyaeus,  
cum rēgnat rosa, cum madent capillī.  
Tunc mē vel rigidī legant Catōnēs.

- 6 Meritōne eum, quī haec dē mē scrīpsit, et tunc dīmīsī amīcissimē, et nunc ut  
amīcissimum dēfūctum esse doleō ? Dedit enim mihi, quantum māximum potuit, datūrus  
7 amplius, sī potuisset. Tametsī, quid hominī potest darī māius quam glōria et laus et aeternitās ?  
At nōn erunt aeterna, quae scrīpsit ; nōn erunt fortasse, ille tamen scrīpsit, tamquam essent  
futūra. Valē.